

sunt, credenda proponi : quis enim Lutheranorum, si fortè disceptet cum aliquo suorum de doctrina ad fidem pertinente, & vincatur tueri sententiam Confessioni e. g. Augustanæ repugnantem, id si percipiat, non continuò mentem mutet pro sua erga Confessionem Augustanam reverentia?

*Hypothesis VIII.* Suppono, id moris esse apud Pastores A catholicos, ut suis dissuadeant multam consuetudinem ac familiaritatem non solum cum Catholicis, sed etiam cum adversariis aliis quibuscunque; nec amare nec boni consilere Parochos Lutheranos, si qui è suis libros Calvinistarum diligenter evolant, eorum concionibus frequenter intersint, illorum doctiores adeant &c.; neque placere Ministris Calvinum sectantibus, si quos è suis videant doctrinam Lutheranam, aliàmve suæ contrariam, in libris curiosius perscrutari.

*I. Demonstratio.* Qui vult per se dijudicare articulos fidei ex scriptura, is debet aut totam scripturam legere aut saltem curare, ut ea sibi legatur integra, ut patet ex propositione prima. Sed quàm plurimi apud Heterodoxos non legunt scripturam, ut patet ex hyp. 1.; nec audiunt eam sibi legi integram, ut patet ex hyp. 3. nec ad id obligantur vi ullius præcepti, ut patet ex hyp. 2. Ergo quàm plurimi, etiam annuentibus magistris, non per se dijudicant articulos fidei ex scriptura. Ergo heterodoxi non sequuntur methodum suam fundamentalem. Quod erat demonstrandum.

*II. Demonstratio.* Nemo controversiam aliquam legitime dijudicare potest, quin intelligat, qua de re agatur. Erat axioma 2. sed quàm plurimi heterodoxorum in multis controversiis non intelligunt, qua de re agatur, ut patet ex hyp. 4. Ergo illi per se non possunt legitime dijudicare multos articulos controversos. Sed nec laborant, nec laborare jubentur, ut sibi notitiam sufficientem comparent ad intelligendum statum questionis in ejusmodi Controversiis, ut patet ex hyp. 5. Ergo methodum suam fundamentalem non sequuntur ubique heterodoxi. Quod erat demonstrandum.

*III. Demonstratio.* Si heterodoxi per se dijudicarent controversias ex scriptura, illi non priùs amplecterentur doctrinas suas, quàm eas ad scripturam examinassent: nam qui suscipit in se, ut causam aliquam cognoscat, & judicet, is inordinate ac temerè agit, si pronuntiet aut statuatur apud se, quid pronuntiaturus sit, antequam causæ cognitionem adoriatur,